





Dissertatio juridica inauguralis continens paradoxa quaedam juridica

<https://hdl.handle.net/1874/291125>

ON
S
EN







14 Jun 192

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
CONTINENS
PARADOXA QUAE DAM
JURIDICA.

QUAM,
ADSPIRANTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

JOANNIS DAVIDIS HAHN,

Philos. & Med. Doct. Philosophiae, Physices experimen-
talis & Astronomiae Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque
Nobilissimae FACULTATIS JURIDICAE decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,


Summisque in UTROQUE JURE honoribus &
privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit,

JOANNES LAMBERTUS TER HOEVEN

ROTTERODAMENSIS.

ad diem 2. Aprilis, H. L. 2. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELET,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.



DISSERTATIO JURIDICA
IN AUCURALIS
CONTINENS
PARADOXA QUADAM
JURIDICA.

AD PRIMUM SUMMO NUMERO
EX AUCTORITATE MAGISTRI REGII
~~JOANNIS DAVIDIS HANNI~~
Philos & Med. Doct. Philosophiae, Physicae experimen-
talis & Astronomiae Professoris Ordinarii
N. B. N. O. M.
Amplissimi Senatus Aca-
demiae Facultatis Juridicae
PRO GRADU DOCTORATUS
Summae in UTROQUE JURE honoris &
privilegiis sine ae legitime consequendis
Ex auctoritate ordinis Universitatis
JOANNIS LAURENTII TER HOEVEN
ROTTERODAMENSIS
M. DC. C. LXX. H. I. 2.



TRAJECTI AD RHENUM
EX OFFICINA JOANNIS FROEDER
ACADEMIAE TYPOGRAPHI MDCCLXX.



PATRI CARISSIMO
JOANNI TER HOEVEN, J. U. D.
GYMNASII GOUDANI RECTORI.

NEC NON
VIRIS VARIA INGENII ATQUE ERUDITIONIS
LAUDE CELEBERRIMIS,

JOANNI FREDERICO REITZIO.
MED. DOCT.

ALMA HAC IN ACADEMIA HISTORIA-
RUM ELOQUENTIÆ PROFESSORI
ORDINARIO.

GULIELMO OTTONI REITZIO.
J. U. D.

IN ILLUSTRIS ATHENÆO, QUOD MEDIO-
BURGI EST, JURIS LECTORI, IBI-
QUE GYMNASII RECTORI.

CAROLO CONRADO REITZIO,

LITTERARUM HUMANIORUM IN ACADE-
MIA HARDEROVICENA PROFESSORI ORDI-
NARIO , ET GYMNASII IBIDEM NASSAVICI
RECTORI.

JOANNI HENRICO REITZIO.

GYMNASII HIERONYMIANI, QUOD TRAJE-
CTI EST, MODERATORI.

AVUNCULIS SUIS OMNI HONORE, PIETATE,

ET REVERENTIA AD ULTIMUM

VITÆ HALITUM

PROSEQUENDIS

*Hasce studiorum suorum primitias
devoto, & quo decet, animo
dat, dicat, dedicat*

JOANNES LAMBERTUS TER HOEVEN.

LECTORIBUS BENEVOLIS.

S. P.

Non hic enarrare lubet, ut vulgo fit, me diu de materia, quam explicandam sumerem, dubitasse, & jam quædam de SCRINIIS, EORUMQUE MAGISTRIS collegisse, sed quia vires meæ ad id non sufficiebant, cum non satis constet, quid SCRINIA fuerint, propositum deseruisse: quid enim hæc ad vos? Verum omiſſis omnibus istis ambagibus dixisse sufficiat, me de PARADOXIS hac dissertatione inaugurali acturum. Ne autem vobis ideam formetis, me ita PARADOXA scribere, uti scripserunt magni isti viri ALCIATUS, HUSMANNUS & GRANGIANUS, quibus ΠΑΡΑΔΟΞΑ significant, *quæ contra communem sententiam ab ipsis prolata sunt*, monendum quid per ea intelligam.

PARADOXA igitur mihi sunt, *quæ prima fronte mira, quin & ἀόριστα videntur, sed bene explicata conciliari queunt.* Materia ista ob singularitatem mihi admodum arridebat; nullus enim, quod sciam, de ea ex professo egit, nisi forte celeberrimus JC. PAULUS in LIBRO SINGULARI

DE JURE SINGULARI, quod conjici mihi posse videtur ex legibus inde in digesta relatis V G. ex l. 16. ff. de Legibus, ubi jus *singulare* definit, quod contra tenorem rationis introductum est. Item ex l. 63. ff. de usufr. quod nostrum non est, transferemus ad alios, nec non ex l. 54. ff. solut. matrim. ubi habetur, quod *maritus*, de dote conventus & in id, quod facere potest, condemnatus, *facere posse* credatur, nullo deducto ex alieno.

Unde forsan mihi aliquis objiciet: *Iliada post Homerum canis*, quod verum esset, si totum istum librum *de jure singulari* hodie haberemus, sed, quod dolendum, præter tres dictas leges nullas alias ex isto libro exceptas in digestis reperi; satis ergo multa de hac materia investiganda supersunt, quorum quædam vobis nunc sistimus. Ceterum valete, animoque vestro inscribite illa *Martialis*, quæ habentur *Lib. 1. Ep. 17.*

*Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala
plura*

Quæ legis hic: aliter non fit, amice, liber.

INDEX

INDEX PARADOXORUM.

- N. I. *Arbiter neque certam neque incertam sententiam dicere potest.*
- N. II. *Nummorum verus ususfructus esse potest.*
- N. III. *Quod ex alto cadit, lenius venit.*
- N. IV. *Etiam sciens possum alienum usucapere.*
- N. V. *Culpa aliena præstanda.*
- N. VI. *Virgo potest dici vidua.*
- N. VII. *Filius sine patre.*
- N. VIII. *Filius patri curator dari potest.*
- N. IX. *Si filium se probaverit, est conditio impossibilis.*
- N. X. *Pupillus auctore tutore non patre obligatur.*
- N. XI. *Idem factum & pœnam & præmium meretur.*
- N. XII. *Legatum ante mortem testatoris præstari potest.*
- N. XIII. *Hereditas jacens & defuncti & heredis personam sustinet.*
- N. XIV. *Usus & ususfructus aliquando idem est.*
- N. XV. *Potest quis locator & conductor simul esse.*
- N. XVI. *Canis non est quadrupes.*
- N. XVII. *Sacrarium non est locus sacer.*
- N. XVIII. *Quod uni datum est, unus non recte petit: omnes autem petent, quod non omnibus datum est.*
- N. XIX. *Multitudo antiqua præsentate brevitæ paucior invenitur.*
- N. XX. *Etiam virgo dotem recipere potest.*
- N. XXI. *Nummi sunt corpora & non sunt.*
- N. XXII. *Plus in re est, quam in existimatione & contra,*

N. XXIII.

- N. XXIII. *Levissima conditio est, quæ fieri nequit.*
- N. XXIV. *Ut dominus aliquando alienare nequit, ita non dominus alienare potest.*
- N. XXV. *Servus sine domino.*
- N. XXVI. *Servus persona est & non est.*
- N. XXVII. *Libertam ducere potest patronus, non libertus patronam.*
- N. XXVIII. *Depositarius non præstat custodiam.*
- N. XXIX. *Ex ancilla ingenuus nasci potest.*
- N. XXX. *Prior tempore, posterior jure.*
- N. XXXI. *Divos consulendi debiti moram habet, non pauper.*
- N. XXXII. *Patri plus licet, quam magistratibus.*
- N. XXXIII. *Fur furti agere potest.*
- N. XXXIV. *Rei propriæ furtum esse potest.*
- N. XXXV. *Res aliena legari potest.*
- N. XXXVI. *Aestatis mentio & sex & 12. & 18. & 24. menses continere potest.*
- N. XXXVII. *Vestimentorum verus & quasi ususfructus est.*
- N. XXXVIII. *Furiosus tutor dari potest.*



PARADOXA QUÆDAM JURIDICA.

I. ARBITER NEQUE CERTAM NEQUE INCERTAM SENTENTIAM DICERE POTEST.

PRima fronte omnino arbitrii naturæ repugnare mihi videbantur verba *l. 19. pr. ff. de recept. qui arbit.* Et ideo si sic fuit in arbitrium compromissum, ut CERTAM SENTENTIAM DICAT: *nullum esse arbitrium.* Sed accuratius illa examinans, reperi & ita explicari posse, ut CERTA SENTENTIA significet sententiam, quæ arbitro pronuntianda in compromisso fuerit præscripta, atque eo sensu arbitrium recte dicitur nullum: quid enim arbitro opus esset, si jam de sententia inter litigantes conveniret? Et sic nihil ambigui in illis verbis restat, uti nec in *l. 21. §. 3. eod.* ubi arbiter inutiliter dicitur SENTENTIAM INCERTAM pronunciare: INCERTA enim ibi est, quæ litem non dirimit. V. G. si litigaretur, quot nummos unus alteri deberet, & arbiter pronunciaret, *quantum ei debes, redde*: talis

A

PARADOXA QUAEDA M

sententia non procedit, quippe ejusmodi condemnatione controversiæ finis non existeret; dicendum enim foret, *10 vel 20 ei redde*; V. Theophil. *inst.* §. 33. *de actionib.*

II. NUMMORUM VERUS USUSFRUCTUS ESSE POTEST.

Omnibus notum credo *verum usumfructum* consistere in rebus, quibus salva substantia uti possumus, *quasi usumfructum* in iis, quæ ipso usu consumuntur. Quid! nonne igitur NUMMORUM est *quasi ususfructus*, quippe per erogationem, quæ eorum usus est, consumuntur? eo sensu facile concedo eorum esse *quasi usumfructum*, asterogatio non semper illorum est usus, nam possumus & iis uti instar gemmarum & monilium, quæ ad pectus portari solent, tumque NUMMORUM est VERUS USUSFRUCTUS, uti docet *l. 28. ff. d. usufr. l. 9. §. 4. ff. ad exhib. (a)* sic etenim gerendo non consumuntur vel minuuntur. Eodem pertinet, si cui gazophylacii numismatici five usus five ususfructus relinquatur conf. infra N. XIV.

III. QUOD EX ALTO CADIT, LENIUS VENIT.

Hoc paradoxon totidem fere verbis habetur in *l. 20. §. 5. ff. d. Servit. præd. urb.* ubi Paulus, *stillicidium, quoquo modo acquisitum sit, altius tolli potest: levior enim*

(a) In illis legib. non occurrit vox NUMMUS, sed NUMISMA, quæ tamen idem significare probat *Noodt obs. i. cap. 5*, ideoque vocem NUMMUS in explicatione retinere malui, quia & illa in inscriptione usus sum.

enim fit eo factō servitus, cum QUOD EX ALTO CADIT, LENIUS, & *interdum direptum, nec perveniat ad locum servientem.* Quæ tamen explicata, magis subtilia, quam mira videbuntur; respicit enim ad ventos, quibus quo altius est stillicidium, eo facilius de prædio serviente in alium locum deferri potest, quo factō certissime lenius est onus, quam quod continuo in prædium serviens caderet.

IV. ETIAM SCIENS POSSUM ALIENUM USUCAPERE.

Inter usucapionis requisita numerari bonam fidem, docet *princ. inst. d. usucap.* bona autem fides nihil aliud est, secundum Huber. *præl. ad inst. tit. d. usuc. §. 5.* quam opinio, qua quis credit, se esse dominum rei possessæ; unde sciens, me non esse dominum, usucapere nequeo: quod quidem verum est, excipitur tamen casus in *l. 28. ff. d. nox. act.* ubi dicitur, me usucapere posse servum, mihi a bonæ fidei possessore noxæ datum, quamvis sciam, eum alienum esse: Rationem autem hujus rei adfert *Bartolus ad d. 1.* quod in hac specie nihil a. b. f. possessore præstatur, quod non præstandum esset ab ipso vero domino, si adesset; Nam ut dominus servum noxæ dedendo transfert dominium ejus in illum, cui noxæ dedit §. 3. *inst. eod.* sic & in hoc casu B. F. possessor servum noxæ dando nihil aliud fecit, quam quod & ipse dominus facere debuisset, Detulit enim mihi omne jus, quod in servum habebat, consistens in USUCAPIONE.

PARADOXA QUAEDAM

V. CULPA ALIENA PRÆSTANDA.

Ne, quæso, injustum esse clames, CULPAM ALIENAM PRÆSTANDAM, uti est in *l. 66. ff. sol. matr.* in qua viri culpæ annumeratur, si ejus inimici res dotales vastarunt; Hoc enim cum æquitatis temperamento accipiendum, ita ut non annumeretur viri culpæ, cum inimici ejus id sponte fecerint, sed tum demum, si id fecere, quia ab ipso marito laceffiti erant, & sic quoque explicanda est *§. 4. l. 25. ff. locati*, ubi & coloni culpæ adscribitur, si propter inimicitias ejus vicinus arbores exciderit. confer Huber *prælec. ad ff. §. 6. ad L. aquiliam.*

VI. VIRGO POTEST DICI VIDUA.

Non solum VIDUA dicitur ea, quæ jam nupta fuit, sed & ea, quæ nondum virum habuit, vid. *l. 242. §. 3. ff. d. V. S.* Nec male. Si cum Labeone in *d. l.* dicimus VIDUAM (a) esse quasi sine duitate, a ve & duitate, ut *vecors* a ve & cor, *vesanus* a ve & sanus (b); quasi sine corde, sine sanitate. SINE DUITATE autem significat, quæ sola vivit, non in matrimonio, in quo duo sunt, *vir & uxor*; sequitur ergo VIRGINEM, quippe

(a) Plures variasque hujus vocis derivationes qui desiderat, adire potest Menagium *amoen. jur. pag. mibi 472. & seq.*

(b) Eo sensu vox VIDUA occurrit ap. *Propert. lib. 2. Eleg. 24. vs. 17.* Vid. Avunculus meus perquam æstimandus J. F. REITZIUS in *Ambig. p. 639.*, cui pro ingentibus erga me meritis gratias nunc publice ago, agamque, dum vivo, quam maximas.

pe quæ sine matrimonio, VIDUAM DICI POSSE, confer Goeddæum *ad d. l. 242.* ubi & Alciatum refutat, qui hanc Lebeonis sententiam impugnat.

VII. FILIUS SINE PATRE.

Quid est hoc paradoxo, quod habetur in §. 12. *inst. d. nupt. §. 4. inst. d. succes. cognat.* FILIOS DARI SINE PATRE? cum constet neminem nasci, quin patrem matremque habeat. Scilicet eæ §§. loquuntur de iis, quos mater vulgo quæsit; Hi naturaliter quidem patrem habent, ast quia ignoratur, saltem incertus est, juris nostri fictione introductum est, ut tales intelligerentur PATREM NON HABERE. Cur autem hi dicerentur SPURII docet Plutarch. *in Problem. p. 288.* ajens de Romanis: Ο' Σπόριος ἔστι τῶν πρώτων ὀνομάτων, ὡς ὁ Σέξτος καὶ ὁ Δέκιμος, καὶ ὁ Γάϊος. Τὰ δὲ πρῶτα τῶν ὀνομάτων, οὐχ' ἐλογραφοῦσι, ἀλλ' ἢ δι' ἑνος γράμματος, ὡς τὸν Τίτον, καὶ τὸν Λούκιον, καὶ τὸν Μάρκιον. ἢ διὰ δυῶν, ὡς τὸν Τιβέριον καὶ τὸν Κλέον· ἢ διὰ τριῶν, ὡς τὸν Σέξτον καὶ τὸν Σεργιον. ἔστιν οὖν. καὶ ὁ Σπόριος τῶν διὰ δυῶν γραφομένων, τοῦ Σ. καὶ τῶν Π. γράφουσι δὲ διὰ τούτων καὶ τοὺς ἀπάτορας, σίνε πάτρις, οἷον ἀνευ πατρὸς τῶ μὲν σίγμα τὸ σίνε τῶ δὲ Π. τὸ πάτρις σημαίνοντες τοῦτο οὖν τὴν πλάνην ἐποίησε, τὸ διὰ τῶν ἀσίων γραμμάτων τὸ Σίνε Πάτρις, καὶ τὸν Σπόριον γράφεισθαι: id est (interprete Gulielmo Xylandro) *Spurius prænomen est, ut Sextus, Decimus, Cajus. Porro non integra scribunt Romani prænomena, sed aut unica littera notant, ut Titum, Lucium, Marcum. sic T. L. M. aut duabus, ut Tiberium Cneum, sic TI. CN. aut tribus, ut Sextum Servium sic SEX. SER. Spurius quoque duabus litteris indicatur*

SP. iisdem litteris etiam nothos significant S. P. nimirum SINE PATRE. quæ res errori ansam præbuit, cum spurius & incerto patre natus iisdem elementis notarentur, ut hi quoque SPURII usurparentur. additur & ibid. alia ratio, sed quia fatis impudica, cupientes ad ipsum auctorem potius remitto.

VIII. FILIUS PATRI CURATOR DARI POTEST.

Non dubito quin & omnes cum l. 12. §. 1. ff. d. tut. & Curat. dat. consensuri sint, indecorum esse patrem a filio regi, sed uti nulla regula, ut vulgo dicitur, est sine exceptione, sic & hoc fallit in casu, si pater sit furiosus, tum enim FILIUS potius, quam extraneus, si modo sobrie vivat, PATRI CURATOR DATUR l. 12. §. 1. eod. juncta l. 1. §. 1. ff. d. curat. furios. imo ingratus dicitur, qui patris furiosi curam neglexerit Nov. 115. cap. 3. §. 12. nec immerito! pietati enim id convenit, ejus fidei & curationi potius, quam extranei patrem committi, ut recte Tuldenus ad d. l. tut. & cur. dat.

IX. SI FILIUM SE PROBAVERIT, EST CONDITIO IMPOSSIBILIS.

Audite l. 83. ff. d. Cond. & demons. Lucius Titius ita testamentum fecit, AURELIUS CLAUDIUS NATUS EX ILLA MULIERE, SI FILIUM MEUM SE ESSE JUDICI PROBAVERIT, HERES MIHI ESTO, Paulus respondit, filium, de quo quæreretur, non sub ea conditione institutum videri, quæ in potestate ejus est, & ideo testamentum nullius esse momenti. En! SI FILIUM SE PROBAVERIT, dicitur

CON-

CONDITIO IMPOSSIBILIS ; nec mirum. Claudius enim, quem Titius sub ista conditione instituerat, extra nuptias quæsitus est, quod patet (1) ex diversis nominibus *Lucii Titii & Aurelii Claudii*, nam notum, patrem & filium idem nomen gerere: imo & diversa nomina quandam illigitimæ sobolis suspicionem excitant, uti est in inscriptione quadam, quæ invenitur ap. Guil. Forner. *Select. II. 6. thes. Otton. Tom. II. p. 53.* & quam hic describere lubet.

D. M.

AGABRORIUS. FELIX.

VIVOS. SIBI. FECIT. ET.

MINDIAE. EPITEUSI.

CONJUGI. KARISS. ET.

INCOMPARABILI.

CLAUDIANAE.

FILIAE. NATURALI.

LIBERTIS. LIBERTAB. Q.

POSTERISQ. EORUM.

(2) Patet ex eo, quod non uxorem nominat, sed quasi cum contemptu ait ex *illa muliere*; nec credibile est, ut ait idem Forner., testatorem matrifamilias, ex qua natum legitimum procreavit, nomen suppressurum, & suspiciosam non agnitæ prolis probationem exacturum.

Probato jam, Aurelium Claudium, de quo sermo est in L. nostra, extra nuptias natum esse, sponte sequitur, eum non posse probare *se Lucii Titii filium;*

PARADOXA QUÆDAM

lium; filius enim definitur quem nuptiæ demonstrant *l. 6. ff. d. his qui sunt sui vel al. j. l. 5. ff. d. in j. voc.*

X. PUPILLUS AUCTORE TUTORE NON PATRE OBLIGATUR.

Absurdum profecto videri debet, quod Justinianus in *§. 10. inst. d. inut. stip.* & Paulus in *l. ult. §. 2. ff. d. V. O.* tradunt, *filiumfam. impuberem, ne auctore quidem patre obligari, cum tamen auctore tutore possit.* Nisi diversi hujus juris rationem sciamus. Quæ est, quia impubes convenire potest tutorem ob damnum ex gesto negotio datum; non vero patrem, quia reverentia paterna a reddendis rationibus patrem excusat, ita ut filius adversus eum regressum non habeat *l. ult. Cod. d. bon. mat. l. 6. §. 2. Cod. d. bon. quæ lib.* Additur & alia ratio a Fabrotto ad *Theoph. §. 9. d. inut. stip.* pupillum nempe obligari auctore tutore propter utilitatem ejus: filium autem jam impuberem auctore patre non obligari quia obligationis commodum non sibi, sed patri acquirat. confer. Vinnium ad *d. §. 10. d. inut. stip.*

XI. IDEM FACTUM ET POENAM ET PRAEMIUM MERETUR.

Incredibile admodum prima fronte erit, quod IDEM FACTUM ET POENAM ET PRAEMIUM MEREATUR; sed minus, si inspiciamus casum, in quo illud obtinet, qui casus existit in *l. 1. ff. d. his, qui ut indign.* ubi Marcianus, *Divi Severus & Antoninus rescripserunt, quasi indignum carere legato, seu fideicommissio libertum, quæ*

ei in testamento patroni relicta erant, cum patronum suum post mortem ejus, quasi illicitæ mercis negotiatorem detulerat, quamvis & præmium meruit. En auferitur liberto legatum, quia deferendo patronum se ingratum ostendit, (quo homine terra nihil pejus creat, ut optime Aufonius.) Meretur autem præmium ut delator, his enim secundum edictum Divi Trajani præmia concessa fuere v. l. 5. §. ult. ff. eod. & sic παραδοξον illud jam intelligi posse confido.

XII. LEGATUM ANTE MORTEM TESTATORIS PRÆSTARI POTEST.

Secundum §. 1. *inst. d. legatis* legatum est *donatio quædam a defuncto relicta, ab herede præstanda*, unde primo intuitu magnam mihi admirationem peperere, quæ a Celso traduntur in l. 22. ff. d. legat. 11. ibi enim LEGATUM VIVO TESTATORE PRÆSTARI POSSE docet exemplo Titii, qui habebat quandam militiam (a) ex qua certos redditus quolibet anno colligebat. Dictam militiam legaverat Publio Mævio, vel pecuniam, quæ redigi poterat ex venditione ejus militiæ: postea idem testator antequam decederet, dictam militiam vendidit & pretium habuit, & illud pretium dabat prædicto legatario.

Sed hæc legens & perlegens tandem intellexi LEGATUM

B

TUM

(a) *Militia* hic est officium eorum, qui in aliqua Schola inter statuta relati erant, ex quo commoda & salaria capiebant. V. Briffon. de V. S. voce *militia*.

TUM ibi ANTE MORTEM TESTATORIS PRÆSTARI non ut legatum, sed ut donationem inter vivos. Sic & pater filiæ potest in dotem dare ea, quæ in testamento reliquit. *l. 11. Cod. d. legatis* quia tum pater præsumitur filiæ legasse, ut esset dotata, qua de re plura cupientes adeant *Brunneman. ad d. l. 11. Cod.*

XIII. HEREDITAS JACENS ET DEFUNCTI ET HEREDIS PERSONAM SUSTINET.

Justinianus in *§. 2. inst. d. hered. inst. & princ. de stip. serv.* hereditatem jacentem non heredis sed defuncti personam sustinere ait, cui primo intuitu contraria videtur *l. 24. ff. d. novat.* ubi HEREDITAS JACENS HEREDIS PERSONAM SUSTINERE dicitur.

Sed distinguendum cum doctiss. Hubero *præl. ad tit. inst. d. hered. inst. §. 1.* inter qualitatem juris & eventum rei. Servus enim hereditatis jacentis, nullo existente herede, characterem juris a persona defuncti mutuatur: Quia tamen recte stipulatur heredi futuro *l. 28. §. 4. l. 35. ff. d. stip. serv.* imo & heredi futuro acquirit *princ. inst. eod.* ideo & recte heredem sustinere dicitur. Vel sic, HEREDITAS, qua jacentis considerata, DEFUNCTUM REPRÆSENTAT, adita, retro videtur REPRÆSENTASSE HEREDEM confer *Vinn. ad §. 2. inst. d. hered. inst.*

XIV. USUS ET USUSFRUCTUS ALIQUANDO IDEM EST.

Minus esse in usu quam in usufructu, patet ex exemplis

emplis ab Imperatore propositis in §. 1. & seqq. *inst. l. 10. ult. l. 12. & seqq. ff. de usufr.* quod tamen non semper verum est, uti in pecunia, cujus USUS & USUS-FRUCTUS IDEM EST, quia usus tantum continet in materia ista, quantum usufructus v. *l. 5. §. 2. l. 10. §. 1. ff. d. usufr. ear. rer.* idem est in in Sylva cædua (a) cujus usu legato intelligitur quoque usufructus legatus *l. 22. pr. ff. d. usu & hab.* licet enim sylvam cædere & vendere, sicut usufructuario *ibid junc. l. 10. ff. usufr.* quia si id non liceret, nihil ex legato habiturus esset is, cui sylvæ illæ legatae, monente Pomponio *in d. l. 22. pr.*

XV. POTEST QUIS LOCATOR ET CONDUCTOR SIMUL ESSE.

Mirum hoc ut tollatur, fingamus me lignario cuidam tabulam faciendam collocasse; jam iste lignarius CONDUCTOR est ratione rei susceptæ, LOCATOR ratione operarum, nam & eas pro certa mercede collocavit. Ego contra LOCATOR sum tabulæ faciendæ & CONDUCTOR operæ fabriliis. Uterque ergo nostrum CONDUCTOR ET LOCATOR SIMUL EST. v. Maranus in *paratil. ad tit. ff. locati cond.*

XVI. CANIS NON EST QUADRUPES.

Quid! CANIS NON EST QUADRUPES, *credat hoc judæus*

B 2

Apel-

(a) Sylva cædua id est, quæ in hoc habetur, ut cadatur, & succisa ex stirpibus radicibusque repullulet & renascatur. Sic duas Caji Trebatii & Servii Sulpicii definitiones, quæ sunt in *l. 30. ff. de V. S.*, conjungendas probat Joh. Goeddæus in *comm. ad d. l. 30.*

Apella, non ego! nonne quadrupes dicitur omne animal, quatuor pedibus incedens? CANIS igitur, qui quatuor quoque pedibus gaudet, eorum gregi nonne annumerandus? annumerandus omnino, si cum rusticis aliisque similibus loquamur; minime vero, si cum jurisconsultis; hi enim, quoties ex arte loquuntur, QUADRUPEDES, PECUDES, & BESTIAS distinguunt, vocantes QUADRUPEDES, *quæ collo & dorso domantur*, id est, quæ facrinas vehunt & trahunt, ut sunt boves, muli, equi, aſini Ulpian. in *Fragmen. tit. XIX. §. I. PECUDES, quæ gregatim pascuntur l. 2. §. 2. ff. ad l. aquil.* ut oves, capræ &c. BESTIAS reliqua animalia, quales sunt feles, simiæ, leones, & sim. confer Ampl. Bynkersh. *d. reb. mancipi cap. VI. p. 119.*

Hac ergo distinctione adhibita, CANIS inter *bestias*, non inter QUADRUPEDES vel PECUDES, erit referendus. Tantum scilicet est artis cujusque locutiones proprias novisse!

XVII. SACRARIUM NON EST LOCUS SACER.

Vocis SACRARIUM si tantummodo originem spectemus, dicendum esset, illud esse *sacrum*; sed contrarium, si rem ipsam consideremus, uti & considerarunt jurisconsulti in *l. 9. §. 2. ff. d. rer. div. l. 1. ff. ne quid in loco sacro*, SACRARIUM loco sacro opposites; Locus enim sacer is demum dicitur, qui rite per pontificem Deo est consecratus: jam SACRARIUM minime talis locus est, sed in quo sacra instrumenta reponuntur *d. l. 9. §. 2.* nec sola rei sacræ illatio in locum profanum reddit eum sacrum, ut neque illatio cadaveris humani locum

re-

religiosum facit, quod satis est notum. Quin & alio sensu sacrarium non est sacrum, si scilicet pro privato sacello, belg. *huyskapel*, sumitur. Nam sic Marcianus l. 6. §. 3. ff. d. R. D. *si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit: sacrum non est, sed profanum.*

XVIII. QUOD UNI DATUM EST, UNUS NON RECTE PETIT: OMNES AUTEM PETENT, QUOD NON OMNIBUS DATUM EST.

Hoc ut explicemus, supponamus, quendam testatorem ita testamento scripsisse: *Rogo te, heres, ut, cum morieris, fundum restituas uni ex liberis, cui voles; heredemque mortuum esse, antequam unum ex liberis elegerat, cui fundum restitueret.* Jam quæro quis fundum petere potest? unus solus certissime non potest, quia nullus electus, sed omnes, quoniam non amplius locus est electioni, quippe quæ electio non ad heredis heredes transmittatur. confer l. 24. l. 67. §. 7. ff. legat. II. ibique Baldum.

XIX. MULTITUDO ANTIQUA PRÆSENTE BREVI- TATE PAUCIOR INVENITUR.

Mirum certe! ast satis clare ab ipso Justiniano expositum invenitur in §. 17. *Const. TANTA in præf. Digg.* ita ut nihil addam, quam ejus verba, sic sese habentia: *Mirabile aliquid ex his libris emerfit, quod MULTITUDO ANTIQUA PRÆSENTE BREVI- TATE PAUCIOR INVE- NITUR. Homines etenim, qui antea lites agebant, li-*

cet multæ leges fuerant (a) posita, tamen ex paucis lites perferebant, vel propter inopiam librorum quos comparare eis impossibile erat, vel propter ipsam inscientiam: & voluntate iudicum magis, quam legitima auctoritate lites dirimebantur. In præsentem autem consummationem nostrorum digestorum e tantis leges collectæ sunt voluminibus, quorum & nomina antiquiores homines, non dicimus, nesciebant, sed nec unquam audiebant, quæ omnia collecta sunt substantia amplissima congregata: ut egera quidem antiqua multitudo inveniat, opulentissima autem brevitatis nostra efficiatur.

XX. ETIAM VIRGO DOTEM RECIPERE POTEST.

Est & aliud ΑΠΡΟΣΔΟΚΗΤΟΝ, quod & VIRGO DOTEM RECIPERE POTEST, teste Paulo in l. 7. ff. d. R. N. Sed hæc lex intelligenda est de ea, quæ jam in sponsi domum deducta, ante concubitum per mortem maritum amiserat. Verum enim vero forsitan aliquis mihi objiciet, illam jam fuisse nuptam, quippe quæ consenserat, consensus autem facit nuptias l. 15. ff. de cond. & demonstr., atque ideo non posse dici virginem, sed viduam: concedo facile, nuptam fuisse, sed nego, ideo non posse appellari Virginem, nam recte a Paulo sic nominatur, respectu scilicet concubitus, numquam enim cum marito concubuerat. Et ea significatione sæpe vox VIRGO sumitur, probante Brissou. d. V. S. in h. v. de aliis ejusdem vocis significationibus v. Val. Guil. Forster.

(a) Lege fuissent.

Forster. Obs. succis. lib. 1. cap. 15. in Thes. Otton. Tom. II. pag. 914.

XXI. NUMMI SUNT CORPORA ET NON SUNT.

Nummi inter res corporales referuntur a Justiniano in *Inst. §. 1. d. reb. corp.* Cajo in *§. 2. de rebus*, imo ut cetera corpora vindicari possunt, *l. 14. ff. de reb. cred. §. ult. inst. quibus alien. lic.* unde mirum videtur, quod & corporibus opponantur, ut in *l. 46. ff. d. cond. indeb. l. 5. de inpens. in res dot. l. ult. ff. d. adim. leg.* sed tum considerantur ut *quantitas (a)* vel ut Oeselius ad *d. Caji §. ait, tunc non omne corpus simpliciter, sed certum intelligendum l. 68. ff. ad Sc. Trebel. l. 10. ff. d. acceptil. in quo nihil præter corpus in considerationem venit.*

XXII. PLUS EST IN RE QUAM IN EXISTIMATIONE ET CONTRA.

Recte Clar. Otto ad *§. II. inst. de legat.* ait, regulam, PLUS EST IN VERITATE QUAM IN OPINIONE (quod idem est ac PLUS EST IN RE QUAM EXISTIMATIONE) tantum in illis procedere casibus, in quibus opinio falsa non obstat agenti. V. G. si servum meum, quem alienum existi-

(a) Hinc non male duplex rerum incorporalium genus statuit Herm. Vultejus in *Jurispr. Rom. Lib. 1. Cap. 62. §. 13.* nimirum *quantitates & qualitates*; ad priores referens *nummos, pondus, mensuram*, ad alteras, quæ propriæ jura dicuntur.

mabam, manumisi, manumisio ista valet *l. 4. §. 1. ff. d. manum. vind.* nam licet opinio mea fuerit falsa, tamen eum non manumisi, quem manumittere non licebat, servus autem iste erat meus, & quisque servum manumittere potest, similes casus occurrunt in *d. §. 11. inst. l. 9. §. 4. ff. d. jur. & fact. ignor. l. 1. pr. ff. pro herede l. 1. pr. ff. pro donato l. 2. §. 3. ff. pro donato l. 2. §. 3. ff. pro legato.* Contrarium vero, quod scilicet PLUS EST IN EXSTIMATIONE QUAM IN RE obtinet in iis, quæ ab animo & voluntate dependent, certumque gerentis propositum desiderant, docente Vinn. ad *d. §. 11. inst. E. C.* qui putat se heredem necessarium, cum sit voluntarius, hereditatem repudiare non potest. *l. 15. ff. d. acq. vel O. her.* sic & qui, usumfr. habens, se tantum usum habere existimat, usumfructum amittit Paul. in *l. 20. ff. quib. mod. ususfr.* Rationem autem hujus rei addit idem Vinnius *l. l.* nimirum quia in his error impedit, quo minus fiat, quod fieri vere poterat, si quis sciret, quod in re est. Alia exempla pete sis ex *l. 2. ff. §. 15. ex l. 3. ff. pro suo.* Non possum non in transitu monere, in *all. l. 2. §. 15. pro emp.* inverso ordine legi debere, UTHIC PLUS SIT INEXISTIMATIONE QUAM IN RE, V. omnino venerandus ille senex JENSIUS in *strict. p. 435. & seq.* præceptor meus in literis honoratissimus, vir!

*Cujus si meritas possit quis promere laudes,
Se tetigisse sua censeat astra manu.*

XXIII. LEVISSIMA CONDITIO EST, QUÆ
FIERI NEQUIT.

Explicata lege *35. ff. d. cond. & dem.* explicatum &
hoc

hoc ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ erit in *d. l.* ait Pomponius *levissima libertatis conditio ea intelligenda est, quæ ad libertatem perducit, quamvis natura gravior & durior sit.* Libertas sub pluribus conditionibus relinqui testamento potest, quæ, si junguntur, omnes implendæ sunt, si vero separantur, illa tantum implenda, quæ levissima est. *l. 45. ff. d. man. test.* quænam autem *levissima* dicatur, lex nostra docet, quæ scilicet servum facilius ad libertatem perducit, quamvis natura gravior & durior sit. E. G. si testator sub pluribus conditionibus, separatim positis, servo suo ita libertatem reliquerat: *Sejo servo meo libertatem do lego, si Roma redierit; postea: eidem libertatem do lego, si Titio decem dederit. tertio: si cælum adscenderit,* hæc enim ut impossibilis, pro non adjecta habetur *l. 3. ff. d. cond. & dem.* & sic fit ut facilius servus ad libertatem perveniat. confer Vivianum *ad d. l. 35. ff. eod.*

XXIV. UT DOMINUS ALIQUANDO ALIENARE NEQUIT, ITA NON DOMINUS ALIENARE POTEST.

Theoph. *inst. lib. II. tit. 8.* Παράδοξα Δέματα vocat, quando is, QUI DOMINUS EST, REM SUAM ALIENARE NEQUEAT, ET QUANDO, QUI DOMINUS NON EST, REM NON SUAM ALIENARE POTEST. Videamus igitur primo, QUIS DOMINUS ALIENARE NEQUEAT; cujus duo occurrunt exempla, in marito & in pupillo. Maritus, licet dotis sit dominus, prohibetur per legem Juliam alienare fundum dotalem *princ. inst. quib. alien. lic.* quia scilicet soluto matrimonio idem fundum restituere debet.

Pupillus autem propter ætatem res suas alienare sine tutoris auctoritate non potest. §. 2. *inst. eod.*

Secundo, quis, QUI DOMINUS NON EST, ALIENARE TAMEN POSSIT. Hoc contigit in creditore, qui, etsi pignoris dominus non est, illud tamen, debitore in solvendo moram faciente, alienare potest §. 1. *inst. eod.* si enim, debitore non solvente, pignus vendere non liceret, quid pignore, quod datur in securitatem debiti, opus esset?

XXV. SERVUS SINE DOMINO.

Nonne hoc mirum? quis sibi servum proponere potest, quin & dominum, cujus servus est, supponat? Sed sciendum, quod jure veteri (a) servus, in quo alterius erat ususfructus, alterius proprietatis si a proprietatis domino, consentiente usufructuario, manumitteretur, fiebat liber *l. 2. ff. d. man. vind.* si vero non consentiebat usufructuarius, & tamen a proprietatis domino manumitteretur non fiebat liber, sed status illius in pendente erat *l. 9. §. 20. ff. de hered. inst.* cum igitur status in pendenti est, recte ab Ulpian. *in fragm. tit. 1. §. 19.* vocatur SERVUS SINE DOMINO. Hæc nominatio procedit quoque in servo, quem dominus pro derelicto habuit *l. 38. §. 1. ff. de nox. act.* quia statim dominium amittitur, ubi quis rem pro derelicta habet *l. 1. ff. pro derel.*

XXVI.

(a) Dico jure veteri, nam jure novo servus, qui a proprietatis domino sine consensu usufructuarii manumittitur, fit liber, sed usufructuario, donec ususfructus durat, servire tenetur. *l. 1. Cod. comm. de manum.*

XXVI. SERVUS PERSONA EST ET NON EST.

Persona est homo cum statu quodam consideratus. Status. Status duplex est, vel naturalis vel civilis. Jam SERVUS quoad naturalem statum PERSONA EST, eoque sensu ita vocatur in *l. 3. ff. ne quis eum, qui in jus l. 215. ff. d. V. S. l. 22. ff. d. R. J.* sed quoad civilem, PERSONA NON EST, quippe libertate, civitate, & familia carens, unde dicitur RES Ulpian. *Fragm. tit. 19. §. I. NULLUS l. 32. ff. d. R. J. MORTUUS l. 209. eod. imo NULLUM CAPUT HABERE §. 4. inst. d. cap. dem. plura v. apud commentat. ad tit. inst. d. jure pers.*

XXVII. LIBERTAM DUCERE POTEST PATRONUS, NON LIBERTUS PATRONAM.

Patronus libertam suam matrimonio sibi jungere potest ut constat ex *l. 45. pr. ff. d. rit. nupt. l. penul. & ult. ff. d. divortis l. un. §. 1. ff. unde vir & uxor.* Igitur ne & liberto licet patronam uxorem ducere? haud quaquam v. Paul. *R. S. lib. II. tit. 19. §. 9. L. 3. Cod. d. nuptiis (a).* Hujus autem diversi juris rationem nusquam invenio, ideoque meam de ea conjecturam addere hic liceat; scilicet ideo matrimo-

C 2

nium

(a) Male Gothofred. in not. ad h. l. & Perezius pral. in Cod. rit. de nuptiis §. 5. statuunt hanc legem abrogari per *l. 15. eod.*, nam *l. 15.* agit de patrono & liberta, *l. 3.* de liberto & patroni filia vel uxore, & similibus, uti bene observavit Clar. Schulting. ad L. Pauli modo laudatum.

nium inter LIBERTUM & PATRONAM prohibitum puto, quia reverentia, quam libertus patronæ debet, eo extingueretur, & e contrario matrona liberto, ut uxor, reverentiam præstare teneretur: Verum in PATRONO, LIBERTAM ducente, hæc ratio cessat, nam patronus per nuptias non amittit eam reverentiam, quam ipsi liberta debet. Eadem scilicet ratione leges Mosaicæ patruo permittebant ducere fratris sui filiam, quum amita nubere non posset fratris sui filio. Et sic recte PATRONUS LIBERTAM DUCET, NON LIBERTUS PATRONAM.

XXVIII. DEPOSITARIUS NON PRÆSTAT CUSTODIAM.

Ulpian. *l. 1. pr. ff. depositi* ait *depositum est, quod custodiendum alicui datum est.* Mira igitur sunt Justiniani verba in §. 17. *inst. de oblig. quæ ex del., is apud quem res deposita est, CUSTODIAM NON PRÆSTAT.* Ast hoc ita accipiendum puto, quod non talem præstet diligentiam, qualem commodatarius aut fullo, in §§. superioribus memorati, præstare debent; hi enim levem quoque culpam præstant, depositarius autem tantum de dolo & lata culpa tenetur *l. 14. ff. §. 3. d. furtis.* Et sic si de levi culpa CUSTODIAM intelligamus, clara erunt Imperatoris verba. Exempla, quod CUSTODIA eo sensu sæpe sumatur, si velis, vide apud Briffon. *d. V. S. v. custodia.*

XXIX. EX ANCILLA INGENUUS NASCI POTEST.

Merito inter ΘΕΜΑΤΑ ΠΑΡΑΔΟΞΑ refertur a Doct. Hci.

Heineccio *ad ff. part. 1. p. 44.* quod EX ANCILLA INGENUUS NASCI POTEST. Cui enim hoc non mirum videbitur? quum is demum INGENUUS dicitur, *qui ex matre libera natus est (a).* Posse tamen existere talem casum docet Paulus *R. S. lib. 11. tit. 24. §. 4.* Si nempe ancilla in fideicommissaria libertate moram passa fuerit; tum is, qui nascitur ex ea ancilla, INGENUUS est, atque ita rescripserunt Divi Marcus & Verus & Antoninus Augustus, teste Ulpian. *in L. 1. §. 1. ff. de suis & legit.* Sed hoc minus novum erit, si consideremus favorem libertatis, quo nullus in jure civili major est. *L. 122. ff. d. R. §.* nam & ideo INGENUUS est, qui nascitur ex ea, quæ conceptionis tempore tantum fuit libera, licet postea in servitutem detrusa. v. *princ. inst. de ingenuis.* Imo licet mater & conceptionis & partus tempore ancilla fuerit, ingenuum tamen parere potest, dummodo prægnans vel uno momento fuerit libera. vid. *Inst. d. tit.*

XXX. PRIOR TEMPORE POSTERIOR JURE.

Mirum & hoc primo intuitu videbitur omnibus, qui casus, in quibus hoc accidit, rationesque nesciunt: addamus igitur. (1) Locum habet in iis, qui in codicil-

C 3

lo

(a) Huc referri possunt illa Theognidis *sentent. p. m. 41.* in medio *ψ. 537.*

Ἦντε γὰρ ἐν σκίλλῃ ρόδα φέεται, ὅθι ἕνακίνθῳ,
Ὅυδ' ἐπὶ ἐν δούλῃ τέκνον ἰλευθέριον.

quæ eodem carminum genere ita interpretati sumus.

Nam rosa non squillis oritur, non inde hyacinthus,
Nec puer e serva nascitur INGENUUS.

lo manumittuntur, hi, licet codicillus ante testamentum factus sit, tamen postponuntur iis, quibus per testamentum libertas datur, Paul. *R. S. lib. iv. tit. 14. §. 2.* cujus ratio est, quia codicilli intelliguntur testamenti sequela, etiamsi testamentum præcesserint V. Cujacius *ad eund. (a).* (2) Contigit in heredibus posterioris testamenti, nam præferuntur iis, qui in priore testamento heredes instituti erant; posterius enim testamentum indicat, testatorem non eos, qui in priore testamento heredes fuerant instituti, sed alios sibi heredes scribere voluisse; & sic testamentum vetus amplius *testamentum* dici nequit. Est autem testamentum *justa & suprema voluntatis nostræ sententia.* (3) Idem juris obtinet in legibus, quarum posteriores prioribus validiores sunt, uti Modestini in *l. ult. ff. d. constit. princ.* Et recte! censetur enim voluntas summæ potestatis per posteriores constitutiones mutata.

XXXI. DIVES EXSOLVENDI DEBITI MORAM HABET, NON PAUPER.

Ad solvendum debitum quatuor menses a die condemnationis, vel si provocatio fuerit porrecta, a die confirmationis sententiæ computandos, debitoribus concedi patet ex *l. 2. §. 3. Cod. d. usur. rei jud.* Harmenopolus vero *prompt. jur. lib. 111. tit. 5. §. 94. (b)*
qua-

(a) Confer J. J. *Wissenbac. disp. 58 ad. ff. lib. 29. §. 15.* ubi & exempla adfert.

(b) In versione hujus § loco *creditor* lege *debitor*, Græcis enim est *χρεωστής*.

quadrimestre illud tempus divitibus tantum, non etiam pauperibus competere docet. Nonne hoc injustum? minime ratio est, quia dives, prædiis aliisque rebus affluens, ea intra illud tempus vendere vel oppignorare posset, & sic ad solvendum sibi pecuniam parare, cum e contrario, ubi inops est, periculum est, ne & illas, quas forte habet, facultates dissipet, confer Scholiaft. ad eund. lib. 1. tit. 4. §. 86.

XXXII. PATRI PLUS LICET, QUAM MAGISTRATIBUS.

Cum omnes patres magistratibus subjecti sunt, dicendum foret, magistratibus plus licere quam patri; quod tamen fallit aliquando, veluti in tutore dando, pater enim liberis suis impuberibus testamento tutores dare potest, etiam insciis magistratibus, cum magistratus eos dare nequeunt, nisi testamentarius vel legitimus deficiat v. tit. inst. d. Attil. tut. Nec spernenda est hujus rei ratio, quia nempe secundum naturam verisimile admodum est, neminem diligentius de pupillo cogitaturum, quam patres ipsos, ideoque & amicissimum & fidelissimum tutorem daturi creduntur. Secundo Pater & minorem & furiosum & servum dare potest tutorem, non magistratus: ratio est, quod defectum testamentariæ tutelæ magistratus suppleat & corrigat; nec enim *minor*, *furiosus* aut *servus*, donec in eo sunt statu, tutelam administrant: Ridiculum autem foret, si magistratus factum irritum admittere velit, quod ipse statim corrigere cogeretur.

XXXIII.

XXXIII. FUR FURTI AGERE POTEST.

Notissima juris regula est, *neminem de improbitate sua consequi actionem*. ideoque malæ fidei possessori non datur furti actio *l. 12. §. 1. ff. de furtis*, quo minus igitur furi? occurrunt tamen casus, ubi FUR FURTI AGERE POTEST, sic debitori, pignus creditori furripienti, se & ipse illud amiserit, conceditur furti actio *v. l. 12. §. 2, ff. d. furtis (a)*. Sic fullo, qui vestem sibi poliendam alteri, invito domino, commodavit, quamvis ipse fur sit (*b*), agere tamen furti potest, si vestis illa furripiatur ei, cui commodavit *l. 48. §. 4. eod.* similis quoque casus est in *l. 38. §. 2. ff. d. nox. act.* ubi Ulpian. *si servus meus rem tuam subtraxerit, tuque nummos, quos ex pretio habebat, ei excusseris, locus erit furti actioni ultro citroque: nam & tu adversus me furti ages noxali servi nomine, & ego adversus te nummorum nomine*. En tres casus, quibus FUR FURTI AGIT. Sed quare? addamus. Non hic ex improbitate sua furti actionem consequitur, sed quia ejus interest ex honesta causa, rem salvam esse: si enim rogatur cur sua intersit, habet, quod respondeat, quia dominus rei sum,

(a) In *b. l. 12. §. 2.* particula *non* omnino delenda cum Cujacio *lib. XI. obs. 11. lib. XVI. 30.* & ita legendum ET SIC FIT, UT TENEATUR FURTI ET AGAT. vel si mavis cum Anonymo in *observ. jur. Civ. Hagæ com. 1743. pag. 16 & seq.* ET SIC FIT, UT NON TENEATUR, sET AGAT. ita ut *non* sumatur pro *non tantum*, sET. pro *sed &*.

(b) Furtum enim commodando fecit §. 6. *inst. de oblig. que ex del.*

sum, vel quia quasi conductor, aut commodatarius culpæ nomine teneor, quod rem non custodierim diligenter; & iis, quorum ita interest, omnino datur FURTI ACTIO V. l. 12. §. pen. ff. d. furtis l. 14. §. 10. l. 48. eod. non vero illis, qui rogati, cur sua intersit, hoc tantum habent, quod respondeant, quia furtum feci vel quia dolum admisi, confer Cujacium lib. XVI. obs. cap. 30.

XXXIV. REI PROPRIÆ FURTUM ESSE POTEST.

Aristoteles lib. 5. Ethic. ad Nicom. cap. 5. ait μοιχεύει δὲ οὐδεὶς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, οὐδὲ τοιχογυχεῖ τὸν ἑαυτοῦ τοῖχον, οὐδὲ κλέπτει τὰ ἑαυτοῦ. id est, nemo suam ipsius uxorem adulterat, neque suum parietem perfodit, neque sua furatur: quid igitur dicemus inspicientes §. 10. inst. de oblig. quæ ex del. ubi Imperator: aliquando autem etiam REI SUÆ FURTUM quis COMMITTIT: veluti si debitor rem, quam creditori pignoris causa dedit, subtraherit. Sed facilis est conciliatio, omne enim, quod a Justiniano in §. 10. traditur, in metonymia est, ut recte Vultejus d. Jurisp. Rom. lib. 1. cap. 48. §. 81. quoniam REI PROPRIÆ FURTUM committitur, non qua propriæ, sed quatenus alius habet jus in ea re, uti ex exemplo debitoris creditori pignus auferentis patet: nam possessio creditori tantum furto auferri potest, non vero dominium, quippe pignoris dominus non est §. 1. Inst. quib. alien. licet. Hinc non male Huberus ad d. tit. d. oblig. quæ ex del. potius dicendum ait IN RE PROPRIA, quam REI PROPRIÆ.

D

XXXV.

XXXV. RES ALIENA LEGARI
POTEST.

Hoc prima fronte ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ videri fatetur doctiff. Huber. *inst. d. legatis* §. 4. cum lex XII. tab. tantum de suo legandi potestatem facit *l. 120. ff. d. V. S.* sed ita RES ALIENA LEGARI POTEST, quando constat, testatorem scivisse rem alienam esse, eaque mente fuisse, ut ab herede redimeretur, & sic de suo legasse intelligitur, ait Vinnius ad §. 4. *inst. d. legatos*; si vero rem suam putans, alienam legat, nullum est legatum, quia tum præsumitur, si scivisset alienam esse, non legaturus fuisse *d. §. 4.*

XXXVI. AESTATIS MENTIO ET SEX MEN-
SES, ET INTEGRUM ANNUM ET SES-
QUIANNUM ET BIENNIUM CON-
TINERE POTEST.

Mirum hoc effatum elicimus ex *l. 1. §. 34. Dig. d. aqua quotid.* quæ sic habet: Propter hoc si æstate interdicator, nonnunquam annum & sex menses continere: quod ita contingit, si initio vernali æquinoctii ducta sit aqua, & sequenti æstate pridie æquinoctium autumnale interdicator. Et proinde si hyeme interdicator, etiam in biennium hæc res extendetur. (1) scilicet hac lege integer annus dividitur in duas tantum partes, æstatem & hyemem: namque æstatem incipere peritiores tradiderunt ab æquinoctio verno & finire æquinoctio autumnali: & ita senis mensibus æstas atque hiems divi-

dividitur §. 32. (2) Annus integer hoc interdicto continetur, si ex. gr. per æstatem anni 1754. aquam ex tuo fundo sine vitio duxerim, & tu hac æstate anni 1755. me prohibere velis: *namque referre me non ad præsentem æstatem, sed ad priorem debui* §. 31. (3) Quia ergo prior æstas ex comparatione duarum æstatum accipitur §. 33. sequitur, si a 20. Martii Anni 1754. aquam duxerim, & 20. Septembris 1755. interdicatur, fefquiannum contineri. Et proinde (4) Si 19. Martii A. 1756. interdicatur, qui dies hyemi adhuc tribuitur, non æstas ejusdem anni 1755. sed superioris 1754. inspicienda venit §. 34. *eod.*

XXXVII. VESTIMENTORUM ET VERUS ET QUASI USUS- FRUCTUS EST.

Quænam ἀντινομία manifestior esse potest, quam hæc de vestimentorum usufructu, quem Pandectæ VERUM esse tradunt, at ipse Justinianus in Institutionibus QUASI USUMFRUCTUM vocat? Non mirum igitur, si commentatores aliis atque aliis viis hanc contradictionem conciliare satagant: quos inter Noodtius Gordianum hunc nodum gladio solvere non dubitans, ipsum Imperatorem veri juris ignarum fuisse pronuntiat & falsa proposuisse. Mihi vero perplacet avunculi Carissimi G. O. Reitzii sententia, qui in luculenta Theophili Paraphrastæ editione p. 273. l. kk. credit, Imperatorem loqui *de vestimento, quod detextum est, etsi defectum non sit l. 22. ff. d. auro, argento; id est, de panno, linteo, serico, aliisque vestium materia, quæ usui esse non*

possunt, nisi defecentur & conscindantur, atque in novam formam ita transeant, ut prior quantitas & species perisse intelligatur: quum Jc. in Pandectis loquatur de vestibus jam confectis & gerendo aptis, quibus salva earum substantia uti possumus. Hoc tantum ejus pace addiderim, si testator forte negotiator vestiarius fuerit, aut magnam togarum, palliorum similibusve vestium vim in mercenario habuerit, etiam in his quasi usumfructum fore quis dubitabit?

XXXVIII. FURIOSUS TUTOR DARI POTEST.

Coronidis loco tantummodo adjiciam, quod FURIOSUS TUTOR DARI POTEST, uti est in §. 3. *Inst. qui test. tut. dar. pos.* nihil enim absurdius videtur, quam quod is, qui & ipse ab alio regi necesse habet, alios regeret. Justinianus igitur absurdum quid constituit? nihil minus. Nam hoc non ita intelligendum, ut furiosus, adhuc in furore, tutelam susciperet, sed si ἀνανήψη id est *resipuerit, ad sanam mentem redierit*, ut Theophilus §. 2. *d. tit.* Medio autem tempore, ne pupilli sint indefensi, tutor vel curator a magistratu datur vid. *Comment. ad §. 1. Inst. d. Attil. tut.*

EPILOGUS.

Essent quidem plura, quæ de hac materia in medium proferre potuissem; malo tamen, L. B., me justo breviorum fuisse dicas, quam per nimiam prolixitatem tædium tibi creasse. Si inter legendum quædam

damprehendisti, quæ placent, nil mihi gratius unquam contingere poterit; sin vero exspectationi tuæ non omnia respondeant, illud virium mearum imbecillitati, quam ingenue adhuc profiteor, imputato, nam

Quæ potui feci, sperans meliora deinceps.

T A N T U M



Et gaudent æterna ornatum tempora lauru
Hanc laudem ingenii te peperisse tibi.
Præmia quanta manent, quanta expectanda laboris
Sunt Tibi, præclaræ gloria magna domûs!
Artibus egregiis teneris imbutus ab annis,
Et Patris cura doctus ad omne bonum;
Sic studiis operans pulcris miranda dedisti
Pectoris eximii pignora certa tui.
Arca nunc ingens aperitur dives honorum,
Qua te doctorum copia magna vocat.
Jam potes aut Hagæ claras expromere dotes,
Et trepidos prudens ore juvare reos;
Jam potes aut Patris vestigia docta secutus,
Ingenio inventis addere multa nova:
Gymnasia aut regimen curare, & cuncta Tuorum
Munera muneribus condecorare tuis.
O! Tibi, quidquid agas, votum respondeat omne,
Sis studiis felix, ut veneranda Domus.
Sic potes æternum scriptis Tibi condere nomen,
Et fama ingenii vel superare Tuos;
Et meritis, aura dum veseris, usque probatus
Post obitum clara posteritate frui.

Amico Amicus cecinit.

J. G.

HONORI & MERITIS
PRÆSTANTISSIMI VIRI JUVENIS
JOANNIS LAMBERTI
TER HOEVEN,

Cum

Actorum ordini infereretur.

Jam, Lamberte, dies, Themidis quæ præmia donat,
Venit, qua melior non fuit ante tibi.
Nutrit honos artes, tribuit tibi munera larga
Pallas, quæ nullo sunt peritura die.
Difficiles aditus tanta ad sacraria pandunt,
Ardua sunt, fateor, sed superanda tamen.
Jam Tibi gratantur cuncti, gratatur & ipse
Pulchricomus Phoëbus, Castalidumque Chorus.
Quam felix regio, quæ te retinebit, & in qua
Virtutem firmam, justitiamque coles.
Vive diu, vestrisque simul, cunctisque secundis,
Vive, fave patriæ, civibus, atque Tuis.
Sors tua florescat, volitet tua fama per orbem,
Donec erit tellus, sidera donec erunt.

CORNELIUS JOANNES VAN
AFFELEN CODDE.

E

Vergun

Aan den Wel-Edelen HEER

J. L. TER HOEVEN,

*Wanneer zyn Ed. tot Meester der beide
Regten wierd gepromoveert.*

Vergun, myn Heer, dat ik op dezen blyden dag
Het wierookvat van vreugd ten altaar voeren mag,
Ten altaar van myn hart, en U met Phoebus reyen
Ten Eeren tempel van Aftrea mag geleyen.
Uw heusheyd, bid ik U, verschoon myn doffen lier,
Ontbloot van eed'len kunst, en klank, en weitzen zwier,
Gelyk een musch haar stem met schelle philomelen.
Verrukt door 't zoet geluyt dier zingende orgelkelen,
Vermengt; wanneer de Zon des smorgens de aard' verligt,
Dus scilpe ik me, myn vriend, dewyl dat my myn pligt
Afvordert, om U ook myn vreugde te betoonen.
Het zoude onnoodig zyn U met een kroon te kroonen
Van Lauweren gebreyd, men zet geen Diamant
In eenen kist van goud, op dat zy naderhand
Met luyferryker glans de Maagden zou verciereren,
Natuurlyk schoon ontbeert heel ligt de weitze zwieren.
Verheerlykt door zich zelfs, dies was 't vergeefs, myn Heer,
Spande ik de snaren om uw loff, en roem en eer
Behaalt door naarstigheyd, tot aan de lugt te heffen,
Haar nooyt volpreezen roem zoude ik tog nimmer treffen.
Getuyge daar van zyn dees doorgeleerde blaas,
Waar over 't keurigst oog blyft in verwond'ring staan.
Hier door ziet men U, in het wetboek zeer ervaren,
Het geen onmooglyk schynt op 't duydelykst verklaren.
Een stoff die moeyten kost, en groote wetenschap
Doch waar door U het regt van Tabbaart, Ring, en Kap,
Waer

Waar door U 't Meesterschap, O vreugd! nu werd gegeven;
En gy als Priester op Astreaas rol geschreven
Zult staan; dit is de loon van uw besteeden tyd,
Dit is nu d'uytkomst van uw aangewende vlyt.
Dit zyn, myn vriend, dit zyn de lang verdiende vrugten.
Welaan, wil nu nog weeuw, nog wezen laten zugten,
Maar zy hun tot een hulp, een troost, een toeverlaat,
Een stut, waar op hun hoop alleen gevestigd staat
Zy d'onfschult, veelyds zeer mishandelt en vertreden,
Een voorspraak in den noot, en droeve tegenheden.
Laat uw welsprekenheyd, en Regtkunde overal
Geroemt, gebeezigt zyn; uw Deugd sta altyd pal,
Om lofflyk 't goed, en bloet der vroomen te beschermen,
Omhels d'onnoozelheyd met innerlyk ontfermen,
En wees een Zon en schild ter vierschaar voor de deugd,
Beteugel 't onrecht door uw wysheyd tot elks vreugd.
Dat booze list, en twist verbaast staan, en verlegen
Door uwe schranderheyd, ontdekt op al hun wegen,
Zo afgebakent door uw welbespraakte tong,
Dat men hen ligtlyk in hun eige netten vong:
Zoo zal uw naam met roem op alle tongen zweven,
En gy alom vermaart, uw wyze orakels geven
Aan elk, die zig om stryd tot u, om uwen raad
Te hooren, vaak begeeft, als tot hun toeverlaat,
Strek zoo een voorspraak voor verdrukten veele jaaren,
Tot dat de gryzigheyd verciere zal uw haaren.
En gy met eer, en loff, verheerlykt heen zult gaen
Naar 't Ryk der starren, om in 't eeuwig licht te staen,
Te blinken in den Rey der brave Letterhelden,
Uw vrienden, van wier Loff naneven zullen melden,
En hen gebruyken tot voorbeelden van hun vlyd.
Leeff lang gelukkig aan Astrea toegeweyd.

*Sic Contubernalis Contubernali
volante calamo cecinit.*

THEOD. VAN DER SLUYS.

Philolog. Stud.

KLINK-DICHT

Op den Zelfen,

enz. enz.

Geleerde Jongeling, Apollo's Voedsterkind,
Die hebt van uwe Jeugd de wysheit ingedronken:
Minerva kon U vroeg met haere gunst ontvonken,
En Themis heeft U zelfs gelyk haer Zoon bemind.
Dit word elk klaer betoogt, nu gy den lauw' wint;
De Tabbert met den Ring, en de Bonnet geschonken
Aen uw geleerde vlyt doen U voor ewig pronken
Met Themis lauwer-krans die 't sterfelyk lot verwint.
Wie staet niet als verrukt, van blydschap opgetoogen,
U hoorende met kragt van reden, voor elks oogen,
's Rechts wonderheden klaer betoogen en verstaen,
Uw wysheit dus bekend word haest tot hooger zaeken,
Gebruikt en moet de gunst van elk u waerdig macken,
En gy van trap tot trap naer 't spits der eere gaen.

Amico Amicus cecinit

J. G.